# Tentamen medicum inaugurale, de hepatitide ... / eruditorum examini subjicit Lachlanus Maclean.

#### Contributors

Maclean, Lachlan. Royal College of Surgeons of England

#### **Publication/Creation**

Edinburgi : Excudebat Adamus Neill cum sociis, 1790.

#### **Persistent URL**

https://wellcomecollection.org/works/aqy2eetf

#### Provider

Royal College of Surgeons

#### License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection 183 Euston Road London NW1 2BE UK T +44 (0)20 7611 8722 E library@wellcomecollection.org https://wellcomecollection.org





# TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE,

m i m

#### DE

# HEPATITIDE.

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE, Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri, D. GULIELMI ROBERTSON, S.T.P. ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Amplifimi SENATUS ACADEMICI confenfu, Et nobiliffimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

#### PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT LACHLANUS MACLEAN, SCOTUS,


NAVIS INDIAE ORIENTALIS CHIRURGUS, NEC NON SOCIET. REG. PHYS. ED. Soc. HONORARIUS.

Aliter vetuflis morbis, aliter acutis medendum. CELS.

Ad diem 13. Septembris, hora locoque folitis.

EDINBURGI: EXCUDEBAT ADAMUS NEILL CUM SOCIIS.

> \_\_\_\_\_ M DCC XC.



### VIRO PRÆSTANTISSIMO

# ALEXANDRO CALLANDER,

#### ARMIGERO,

E SENATORIBUS BRITANNICIS

UNI;

#### QUI,

PLURES ANNOS,

IN INDIA ORIENTALI,

MUNERIBUS SUMMIS,

ILLÆSA FAMA

PERFUNCTUS EST;

OB


PLURIMA

AMICITIÆ

DOCUMENTA,

TESTIMONIUM;

NEC NON



### NEC NON

111.1

AMICO SUO CARISSIMO

# COLUMBO MACQUEEN, M. D.

N ORWICI,

MEDICINAM,

TANTA CUM SUI LAUDE,

AC DIGNITATE,

ALIORUMQUE COMMODO,

FACIENTI;


SUMMÆ OBSERVANTIÆ

MONUMENTUM;

HOCCE OPUSCULUM,

D. D. CQUE

# AUCTOR.



## ERRATA.

Page 12. line 20. Pro qua lege quae.

- 14. Pro fanis lege fanus. 19.
- Io. Pro umbrifero lege imbrifero. 29. 43. 16. Pro est lege et. 9. 13. Pro Jebris lege Morbi 15. 10 Pro mediastinum lege dea phra

Dr. hiagt which for the forthe Athe author

# TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

#### DE

# HEPATITIDE.

## PROOEMIUM.

A Liquor annos in plagis ubi pulchra morbos tropicos obfervandi occafio mihi data eft, commoratus; paucula de hepatitide ex proprio penu, et experientia, potius quam ex aliorum fcriniis compilatis, deprompta, in vulgus edere, fatius duxi. Primo quidem, non folum vetustae, fed etiam acutae, hepatitidis A hiftoriam

2

hiftoriam fufius tractare animo mecum decreveram; hujus vero hiftoriam plenam et accuratam ultra difputationum inauguralium limites longius excurrere, comperto; phaenomena ejufdem notatu digniora, quae ab his, quae fub coelo mitiori ac frigidiori obfervanti occurrunt, aliquatenus mihi diftare videbantur, leviter perftringere fatis habui.

## DEFINITIO.

HLPATITIDE

Dyfpepfia, facies lurida, fubflava, tumidiufcula; gravitatis, ac plenitudinis fenfus, cum epigaftrii et hypochondriorum, praefertim dextri, doloribufque, plus minus moleftis, alternans, compreffiuncula vel decubitu in latus finiftrum, auctis; dolor ad claviculam, et fummum humeri dextri, aliquando vero finiftri; faepe dyfpnoea, tuffis ficca, dejectiones olidae; febricula, praefertim vefperi ingruente.

3

### HISTORIA MORBI.

Hepatitis vetufta eft vel primaria, vel ab alio morbo pendens, fymptomatica : nullufque forfan ex omnibus, quibus gens humana opportuna eft, morbis, majori fignorum varietate, faltem initio, ftipatur; adeo ut non folum medicum, fed etiam aegrum ipfum inaufpicatum faepius fubdole fallat; quippe qui omnia fua ftadia, nemine fufpicante, donec tandem ftrages horrenda quam ediderat, anatomici cultro detegatur, larvatus percurrat.

Saepe initio, dyfpepfiae fignis, flatu, plenitudinis, inflationifque ventriculi fenfu, praecipue poft paftum; ructuque vario, praefertim acido, carpitur aeger: cibi appetentia varia; nunc faftidium, nunc infolitum comedendi defiderium urget, cui fi forfitan indulgeatur, omnia figna ingravefcunt: et tanta eft ventriculi debilitas, ut cibus vix aegre concoquendus, crudufque, diutius ibi fubfiftat.

t

Simulque

4

Simulque vultus infigniter mutatus, facies fubfufca, pallidaque turgefcit, oculique nitore fuo fpoliati, hebetes obfcurantur, tunica conjunctiva colore lurido, et aliquando fubflavo tincta.

Nec non eodem tempore in regione epigaftrica moleftiae fenfus ad hypochondria dextra ufque lancinans emicat; hunc aeger hallucinatus, ventriculi affectionem plerumque falfo exiftimat: hicce dolor preffu ingravefcit, ad claviculam, et fummum humeri dextri tendere, et cum confimili dolore hic loci alternis vicibus torquere, percipitur.

Aeger pariter languore, laffitudine, omnifque conatus fastidio, et aliquando ineluctabili dormiendi desiderio afficitur: somnus vero brevis aegri vires quassas raro reficit, saepiufque diris infomniis misere abrumpitur.

Animus triftis gravi moeftitia, frequentique fufpirio fractus, omnium confortium delactamentaque fugit, et folitudine, forti fuae miferae illachrymandi caufa, uti amat.

Ineunte

Ineunte hepatitide primaria, alvus plerumque dura, morbo vero provecto, pariterque per totum hepatitidis fymptomaticae decurfum, fibi non conftat, nunc aftricta, alias foluta; plerumque vero dejectionibus frequentibus, foetidis, exiguis, mucofis, et abdomine nonnunquam tumido, ac tenfo ftipatur.

Eft ubi nullam fere fubit mutationem pulfus, neque validior, neque frequentior, imo aliquando praeter naturam tardus; interdum vero, progrediente morbo, frequens ac debilis, vefperi praefertim micat. Lingua albida, ficca, villifque obducta; cutis arida, dura, atque conftructa, urina parca, colorata; refpiratio plerumque ab initio laefa; morbi vero progreffu, et finem verfus, plus, minus, laborat; faepe comite tuffi ficca, rauca, atque fonora, lateris dolorem adaugentes. Gingiva exploranti folito durior interdum ab initio videbitur.

Eft ubi humeri affectio prima in medium prodit, aegro lateris dolorem nondum conquefto :

5

questo: interdum vero penitus deest; faepe tamen licet aegri sensum latuerat, humerum premendo fuscitaveris.

Morbo hucuíque provecto, ponderis ac plenitudinis fenfum, primo in epigaftrio, hypochondriifque, perceptum, dolores hebetes, obtufi, morfufque acerrimi, quaquaverfum vellicantes, nec mora, magis diffufi, harumque partium majore minoreve, duritie, ac tumore flipati, levique comprefliuncula ingravefcentes, alterne excipiunt.

Decubitus in utrumvis latus, praefertim in finistrum molestus; aegrotus supinus, humeris leniter acclivibus, dextrorsumque paululum vergens, dolore minus afficitur.

Spiritu multum turbato, dolores inftar pneumonicorum, quacum interdum, rarius licet quam hepatitide acuta, conjungitur, citro retroque pectore feruntur : fingultus ac vomitus rarius in vetusta, faepius vero in hepatitide acuta graffantur. His fignis interdum forte conjungitur icterus; non vero necessa.

rio.

6

7

ro, comeíque indivulfus, ut quibuídam placuit.

Haec figna varie durant : nunc diutius, alias vero ocyus, velociter ingravefcentia, febricula praefertim vefperi, fudoribus nocturnis, macie, viribus fractis, ventrifque proluvie putrida, ac faftidium movente, ftipata, ftadia fua percurrunt ; aegerque febre *bectica*, ex uno, pluribufve abfceffibus, intra hepar aliove, qua data porta ruentibus, oriunda, e medio tollitur.

Hoc modo plerumque adoriens, progredienfque, finitur hepatitis : facile vero collegeris, impetum, fignaque futura, non folum pro principii diverfitate, agendi modo atque vi, corporis ftatu, adeo fieri poffe diverfa, ut vix unquam in binis, nedum in pluribus aegris, eadem fit.

Ex fupra dictis fignis quaedam penitus defunt ; quaedam vero magis obfcura, quae proxime delineanda funt.

Frequentes

Frequentes alvi dejectiones, exiguae, mucofae, et acres, ventrifque tormina abnormia, atque tenefinus inter prima nonnunquam notantur; vultus vero, his nondum fubortis, diligentius obfervanti, a fanitate deflexiffe, morbidus, mutatufque, videbitur. Interdum vero aegrotus, nullum dolorem conqueftus, cibi faftidio, macie, viribus tum animi tum corporis, fractis, vegeto fimul oris colore amiffo, tandemque diarrhoea putrida, febreque *bectica*, quae omnia nullatenus a jecore laborante pendere fufpicanti exitium afferre valeant, corripitur.

Hoc malo laborantium, dorfa, humerique, quod notatu dignum, faepe antrorfum convexa funt; vitiumque morbo progrediente in pejus ruit; pectufque fimul a forma fua deflexum, infigniter, praeter naturam, deformatur.

Eft ubi morbus Pyrexia abnormi, incertis intervallis accedente, calore intenfo, fiti, pulfu debili, parvo, interdumque enormi, adoritur :

et

9

qua

et licet caloris, moleftiaeque fenfus, circa epigastrium, hypochondriaque dextra fimul torqueant; cum tamen in aliis pyrexiis fimilia figna adfunt; magnum curriculi fui fpatium nondum in suspicionem adductus, infidiose detam quidem facpe ex acuta.tirruo

Datur febrium intermittentium varietas, Indiae montium indigena; indeque, febris montofa, nuncupata, quae ex jecinoris praesertim lobi finistri, vitio pendet, cuique viribus hydrargyri folis medetur.

A chirurgo clariffimo spectatae fidei apud Bombay, tria hujusce febris, quae fibi observaffe contigerat, exempla, ingenium afthmatis induisse, remediisque huic malo idoneis aliquandiu frustra tentata, tandem hepatitidis fignis fuborientibus, hydrargyro feliciter profligata fuisse; morbumque, qui uni ex aegris eadem forma rurfus acciderat, eidem remedio, ficuti antea, denuo ceffisse, certior factus sum. Hepatitis, moribus nonnunquam mutatis. lento vixque percipiendo pede, vel, caufa ali-B

nerationem

qua incitante fortius agente, ex vetusta in acutam subito mutatur: utrum vero haec acuta, an potius vetusta gradu solummodo diversa, antiquo nomine servato, vocanda est, anceps haereo.

Vetustam quidem faepe ex acuta oriri contendimus; licet scriptor, qui non ita pridem tractatum publici juris fecit, vetustam fere femper, morbum primarium effe, ponat: hoc equidem aliquando evenire, supra jam conceffum eft : femper vero fieri, non folum propriae, fed etiam clariffimorum medicorum, quos faepius, data occafione, confului, experientiae, repugnat. Idem auctor in fua morbi historia, stadium acutum describit; hoc tamen in ratione medendi oblivifci, faltem remedia praestantiora, medicorum praeclariorum usu comprobata, penitus praetermittere videtur. Quam statuit, medendi rationi, vetustae, utpote huic fatis idoneae, limitibus circumferiptae, facile ; acutam vero ex aequo complectenti, generalive morbi divisioni, qua puris generationer

II

on !

nerationem ex acuta fola pendere ponit, minime affentiri queo: nam ex alibi confeffis, auctor jecur omnia morbi latitantis ftadia, nemine fufpicante, tacite percurriffe, incidendo repertum eft.

Hujus mali exempla, commentariaque in vulgus a clar. Doctore CLARK, apud Antiguam edita, magis experientiae noftrae, cognitionique, quam aliunde confequi valueram, quam ulla alia, quae fuper hoc gravi argumento addifcendi occafio fe mihi obtulit congruere, hic loci obfervari vellem; lobumque finiftrum tentari, abfceffufque hepatis inter fe diftinctos, faepius in India Orientali, quam Occidentali, reperiundos; cum hujus unicum tantum exemplum Doctori vidiffe contigit.

Infauftis hujufce mali victimis faepe evenit, ut medicum, non nifi abfeeffu, apice acuminato, foras erumpente, accerfant : interrogantibus vero refpondent, fe ante hoc morbo detentos, doloribus hypochondriorum, febre comitante, plus minus laboraffe; domi vero manendo

manendo, laxantium refrigerantium ufu his fignis levatos fuiffe. Hoc infimae fortis indigenis, qui caufis remotis perpetuo objiciuntur, obtingit, quique ob dietam tenuem ex vegetabilibus praecipue confectam, morbo lento, vixque fentiendo mifere carpuntur; folitis negotiis impliciti, totas feptimanas, imo menfes obambulant, neque medici manum, nifi dolore coacti implorant : inde fit, quod morbus, caufis incitantibus de novo agentibus, lente, ac pedetentim fuppuratione tacite recidivus finiatur.

Hepatitis aliorum morborum faepenumero comes, aut fignum ; huic vero febres intermittentes, ac remittentes, dyfenteriaeque minus bene curatae, praefertim fundamenta ponunt ; et fane vix Indiae datur morbus, qui ad illam plus minus procliviores non reddat : hique morbi diverfi, remediaque, quibus medetur, in que omnis culpa transfertur, vitia hepatis latitantia in lucem faepe proferunt.

manch

solf itante, plas minus laboraffe ; domi-vero

- Hos morbos, ufitatis remediis non cedentes, e jecinore oppilato saepius pendere compertum est : huic rei innixi hydrargyro, auxilio potentiore, et forfitan folo plerumque fere sorreptum, triduum jecinoris .isibem ratnutu Morbi progreffus eft admodum diverfus; nunc curriculum fuum, intra paucos dies, velox percurrit : alias vero hepar feptimanas, imo menfes, vel etiam annos, nulla caufa validiore incitante, lente morbidum marcescit.

- Jamque hepatitidis vetuftae hiftoria, qua potuimus, cura, ac diligentia, tradita, quaedam de infignioribus acutae phaenomenis, animadvertenda funt. Haec aeque ac illa regionibus calidis gaudet ; licetque, ineunte morbo, figna fatis clare plerumque notentur; aliquando tamen, ut vetustae etiam evenit, adeo obscura. et subdola sunt, ut quam maxime in arte verfatos fubterfugiant.

Aegrum nunc pyrexia violentiore, bilis vomitione, atque fingultu, vi derspente, aggreditur; alias vero fignorum enormium catervam lateris

lateris affectio excipit. Haepatitiden graviorem, praceuntibus aliquot dies generalibus rheumatifmi, praefertim articulorum majorum, doloribus, qui tandem humerum dextrum correptum, triduum jecinoris affectione nondum fensâ, immane torquebant, mihi obfervaffe obtigit. Hujufce aegri humerus finifter, fternumque medium dolore graviore laborabant; lobufque finifter princeps inflammationis fedes videbatur.

Dolor hicce fingularis humerum, claviculamque fubtus angens, interdum primarium, et faepe morbi decurfu fignum importunius eft, toto brachio ad digitos extremos ufque, quos torpore, doloreque immobiles reddit, pertingens : idem, at mitior angoris fenfus lateris affecti femore ac crure aliquando fentitur. Thoracis tegumenta dextri, praefertim fupra infraque claviculam, ineunte morbo, leviori compreffiuncula, dolore longe alio ab illo qui, morbo provecto, cum fuppuratio haud dubie adeft, affecta, femel obfervavi.

Hepatitis

Hepatitis acuta non folum gravioribus fignis, quam vetusta, illave, quae coelo frigido, mitioreve fubnascitur, graffatur, sed etiam multo majore velocitate curriculum fuum abfolvit. Dyfpnoea infigni, tuffi importuna, doloribufque pectus circumcirca peragrantibus, acuto fimul humerum, claviculamque fubtus, angore torquente, convexam hepatis fuperficiem potiffimum affici, inflammationemque non folum ad mediaftinum, pleuramque coftarum, fed etiam in pulmones prorepfisse rite collegeris. Tametfi in quibufdam morbi gravioris exemplis, haec figna, hifce partibus falvis, occurrant, illas vero plerumque plus minus femper laborare, facile adducor ut credam : cumque quo major est ea pars hepatis affecta, eo periculum fit quoque majus, ad hoc animum ftudiofius in usu advertere necesse eft.

Diaphragma interdum tam vehementer afficitur, ut aegrum incurvum, et quafi arcuatum, genibus cubito innixum, quo fot lummodo

15

lummodo dolore levabatur, confpexerim : hic plerumque torquet fingultus.

Alvus interdum adeo aftringitur, totufque tubus inteftinalis tanto torpore corripitur, ut, bile, licet copiofius, ut hinc patet, quod aeger, vomitione biliofa faepius torqueatur, fluente, cathartica fortiora neceffaria fint.

Hepatitis acuta maxima ex parte, fed non femper, credo, fuperficiem hepatis, vetufta vero femper *parenchyma*, five ipfam jecoris fubftantiam, fedes fibi vindicant : in hoc abfceffus plures, vel fecum invicem communicantes, vel inftar favi, inter fe diftinctos reperire eft : jecinorifque fuperficie integra licet et falva, abfceffus hofce tamen faepenumero in parenchymate inventos, fectione cadaverum monftratur.

# DE USITATIORIBUS MORBI TERMINIS.

Hepatitis, refolutione, et fuppuratione, raro vero gangraena, finitur : utrum calidarum hepatitis \_\_\_\_\_n

171761

#### DE HEPATITIDE. 17

hepatitis plagarum schirro vero unquam excipiatur, vehementer dubito.

Quando refolutione, omnium terminationum benigniore, clauditur; hoc plerumque bilem furfum, deorfumque praesertim copiose evacuando evenit; omniumque praecipue in vetusta falutis recuperandae fignorum certiffimum est; partis enim laborantis vasorum, quorum debilitatem, caufam mali proximam postea stabilire conabimur, vim aliquatenus inftaurari probat: canalis enim alimentarius folito stimulo diutius orbatus, eadem bilis quantitate, qua, falva fanitate, ad motus placidos et naturales, jam ad abnormes peragendos, fupra modum ftimulatur.

Sudores univerfales profufi, urinae fecretio, fedimentum copiose deponentis, adaucta, aegri tuffi antea laborantis excreatio libera ac copiofa; fanguinis e naribus, anove fluxus, dejectiones mucofae, et superficiei jecur exudatio, partibus vicinis agglutinans, hunc morbi finem alia alio tempore comitata funt. Exu-C

dationem

dationem vero acutae propriam, hujuíce refolutionem plus minus femper ftipare, facile adducor ut credam : plerofque enim, qui ex hoc modo finito morbo convaluere, decubitus in latus finiftrum difficilis, moleftiaeque fenfus, quovis nifu fubito fufcitatus, quae, nec injuria in hanc agglutinationem conferuntur, toto vitae curriculo fatigant.

Quando vero fuppuratione, quae femper periculofiffima habenda, terminatur, vel uno, pluribufve abfceffibus, viam foras, in thoracem, pulmonefque, in ventriculum, vel in inteftina, per bilis ductus, vel conglutinatione et erofione juvantibus, vel denique in cavum abdominis fibi patefacit; ex omnibus hifce, fi extremum excipias, non defuere, qui convaluerunt.

Hic vero animadvertendum, fuppurationem adeo lentis vixque aegre percipiendis gradibus furrepere, ut morbus etiam in artis noftrae ufu quam maxime verfatis fidem faciat, fe refolutione fuiffe depulfum : dolore enim infigniter

niter remittente, vel penitus una cum caeteris fignis, ut faepe evenit, ceffante, aeger fanitatis defiderio flagrans, medicuíque se morbum debellasse facile credens, in hunc errorem nullo fere nogotio inducuntur : hinc fit, ut non folum remedia praestantiora praetermittantur, sed etiam, citius aut serius, tumore foras erumpente, febrique lenta, ex absceffu interno, pureve viam fibi in partem internam sternente, fuborta, mifere spe sua frustrati decidant. Ad ea quae confequentur animum attendendo ab hoc erroris fonte plerumque cavebitur. Si doloris remiffio, aut ceffatio aliqua evacuatione critica, non stipetur, si fanis oris color non restituatur, si functiones generales debiliores fint, fi denique decubitus in latus finistrum fit difficilis, et quo longius in hoc cubatur, eo, pro rata parte, decubitus fit gravior, moleftia in ponderis sensum, tandemque in dolorem gravissum definente, febricula fimul, horrore levi, ac abnormi stipata, praefertim vesperi ingruente, scrupulose ac timide

de eventu praesagiendum est; plerumque enim fuppurationem inftare, aut jam nunc exiftere comperiemus : fi reliquorum fignorum nulla, quae duces sequamur, adfint, ac etiamnum ancipites hereamus, aegrum in latus finistrum collocatum, diutiusque fic recubantem interrogando, de sensu quo afficitur, utrum inflammationi fupervenerit fuppuratio dijudicare potuerimus. Ad hanc rem animum altius advertendum volo, quippe qui medicos longa licet annorum ferie edoctos, in hunc errorem incidiffe probe noverim. Quique egometipfe in uno exemplo tametfi qua. potui diligentia ab hoc erroris fonte cavebam, morbum refolutione finitum per aliquot dies, credulus, opinatus, cito me toto coelo erraffe compererim : absceffus enim aliquanto post, via fibi in pulmones patefacta, aegro exitium attulit.

que in delerem gravifium delinente, febricula

fartim velociti ingiuanto, for roulofe 22 timide

si Qui, horrora lavi, ac abnormi fimate, prac-

tentes, arctius; lobus vero finister quibufdam logis lare adhaerere; pericardioque feri libra . ANOITJAZ MURAYADAJ AD . Havi Jere ; uno microsofo parter lobum

Strages horrenda atque phaenomena, quae cadaverum fectione manifesta fiunt, varia et multiplicia funt; horum autem pauca tantum brevitatis causa annotabimus.

Quatuor exemplis, quae mihi perfcrutandi occafio fe obtulit, quibufque in pulmones abscessus viam sibi stravit, pusque aliquandiu ante mortem excreatum fuit, quae fequuntur, notata sunt. Omnibus pulmonum substantia plus minus exesa; tubique bronchiales pure fanguinolento excreato haud abfimili, infarcti fuere; pulmo dexter pleurae spatio fatis amplo, praecipue circa foramen diaphragmate erofum, quod tribus digitis intromittendis par erat, agglutinatus est : hoc circa foramen plurima dura, mole diversa, quae cultro fecta, schirrum specie, duritieque referebant, reperta funt. Horum uno pneumonia ab initio comitante, partes conglutinatae latius patentes.

tentes, arctius; lobus vero finister quibusdam locis laxe adhaerere; pericardioque feri libra flavi reperta : huic miferando pariter lobum finistrum absceffus tentabat, unde pus quatuordecim diebus ante obitum exivit, quique velociter ad fanitatem, donec alter dextri lobi in pulmones irruperat, fpectabat; omnibus veficula fellis viscida bile distenta, superficies per aliquod fpatium diaphragmati, in uno pariter reni dextro praeter naturam adhaerefcere : diaphragmatis tendo omnibus foramine exefus. Jecoris fuperficies nunc maculis lividis distincta est, nunc vero falva intacta manet : nec datur vifcus vicinum, cui aliquando agglutinatum non reperiatur. Vesicam fellis, bilisque ductus nonnunquam inflammatione tentari liquido constat : ductumque communem choledochum inflammatione tantum non deletum, mihi vidiffe obtigit.

Pleraque viscerum abdominalium morbi vestigia fubinde ostendunt : mesenterii glandulae tumore, ac duritie, praecipue vetusta, dysenteria

dyfenteria fatellite, diutius laborantibus afficiuntur. Splenem quoque morbo tentari, et diaphragma maculis lividis aliquando diftingui compertum eft.

#### DIAGNOSIS.

Morbi quibus hepatitis acuta confundatur pneumonia, gaftritis, affectus coli fpaftici, mufculorumque jecori vicinorum dolores rheumatici numeranda funt: primae nonnunquam conjungitur; cum vero pulmones, ipforum, coftarumve pleura, non tentantur; fequentibus rite perpenfis diftingui poterit: a pneumonia, humeri claviculaeque fubtus dolore, qui plerumque femper hepatitidem acutam comitatur, abfente fecerni poteft.

In pneumonia dolores celfiores, latiufque patentes lancinant; dyfpnoea et tuffis importuniores; excreatio copiofior et interdum fanguinolenta, decubitufque in latus affectum difficilis: contrarium vero in hepatitide evenit; huc pariter accedit quod, in India Orientali, pneumonia

23

pneumonia primaria rarius occurrat; neque magni refert hic paululum erraffe; cum utrique morbo ineunte eadem fere remedia idonea fint.

Debilitas infignis, anxietas, in epigastriodolor et ardor, ingestis quibuslibet auctus, iisdemque protinus rejectis, humerique dolor absens, gastritiden a morbo nostro facile secernunt. Lobi finistri inflammatio coli affectus speciem adeo graphice interdum prae se fert, ut, abfente humeri dolore, a coli affectione vix aegre diftinguenda fit : eo major eft hic difficultas, quod dolor interdum adeo obscurus ut vix percipiendus fit, quod plerumque pariter, alvus pertinaciter astricta sit, quodque denique aegrotus in utrumvis latus pari negotio cubare queat: quapropter ad omnium fignorum catervam animum advertendo, hepatitiden ab hac coli affectione, partiumque vicinarum rheumatismo, caeterisque corporis affectibus rite folummodo fecreveris. In vetusta majores etiamnum difficultates superandae ; pacumonia

i ma

dae; futurum tamen spero, ut historiae morbi fupra traditae attentius, studendo, ab omni errore nobis ex illo sonte irrepturo, plerumque caveatur.

### CAUSAE REMOTAE

Sunt, 1mo, Calor, praesertim cum hic ac frigus alternis vicibus agant. 2do, Corporis exercitatio violenta. 3tio, Intemperantia, praesertim spiritus vini usus immodicus. 4to, Animi affectus. 5to, Febres intermittentes, ac remittentes. 6to, Dysenteria, &c.

Horum omnium calor, ftimulorum fortiflimus, princeps morbi caufa, nobis, utpote quibus perfuafum eft, caeteras mali caufas, aut fimili modo, calorifve operi favendo, agere, hic loci potiffimum perpendendus eft.

Fufe et operofius tractare de operandi modo, quo calor hunc morbum in diverfis Indiae Orientalis plagis fufcitet ; rationesque reddere, quare in quibusdam faepius, quam in aliis, graffetur, quare denique in aliis, ut in quibus-

dam

25

dam Indiae Occidentalis plagis licet omnino fimilibus, eifdemque caufis remotis operantibus; raro aut nunquam fubnafcatur; haec omnia inquam figillatim, et liquido enucleare non folum nos difficultatibus non folvendis praepeditos implicaret, fed etiam hanc differtationis noftrae partem, ultra folitos, quibus tentamina inauguralia, fines, circumfcribuntur, longe neceffario proferret: quapropter has folum caufas, quae maxime, me judice, ad hoc malum fufcitandum faciunt, hic loci perftringam.

Quaedam vero obfervationes, quibus, tanquam principiis inconcuffis, innixi, caute ratiocinabimur, huic inveftigationi praemittendae videntur.

Animantia, ftimulo quovis quadantenus amoto, et postea de novo addito, majore cum facilitate nunc eodem affici, ac consequens est, in actionem validiorem incitari, lex universalis videtur.

f - m

Ut modo, quo calor, friguíque, fibram muícularem alterni afficiant, aliquod luminis offundatur, Professorem nostrum illustrissimum BLACK, calorem effe veram fubftantiam, non qualitatem, plurimis periculis nitidis commentariifque comprobaffe observandum eft ; hinc' calor alternis vicibus auctus et imminutus corpus eodem modo, quo caetera ftimulantia (ut fupra dictum est) afficiat oportet. Sic fi partem aliquam (manum v.g.) in certo quodam caloris gradu collocatum, ad gradum inferiorem transferas; actionis imminutio ftatim fequetur; fi jam in priorem caloris gradum eandem reducas, actio adaucta, priore tamen major, ob manum jam vi frigoris fedante magis irritabilem factam, fubsequetur; fi eandem gradui adhuc minori immersam in priorem revoces, actio vaforum pro rata parte major, fubnascatur oportet : adeo ut calorem hoc modo augendo imminuendoque, vaforum actionem eo roboris, violentiae, ac impetus, ut inflammatio, gangraena, aut sphacelus insequantur, facile

27

facile fufcitaveris. Hujus rei exempla in frigore aduftis videre eft ; calore enim fubito, inflammatione, gangraena, aut fphacelo, pro caloris gradu, corripiuntur, caute vero et pedetentim, admoto, horum nullo laborant : fic ut mihi videtur, rite explicari poteft, quî calor et frigus alterni morbum, de quo agitur, plerumque excitant.

Licet in quibufdam Indiae Orientalis partibus calor intenfior ardeat; fi tamen fibi constet, adeo ut non multum fupra infrave eundem Fahrenhetii gradum mutabilis fluctuet, Europaei, modo fe, munera fua obeundi caufa, radiis folaribus objicere non cogantur, fecunda valetudine fruuntur. Alibi vero, eodemque loci, vento Indiae stato se vertente; ubi magna caloris, frigorifque alterna varietas; visque aestus diurni frigore nocturno excipitur; vel ubi a terra aura nocturna, ex mari diurna ordine nexae, continuata ferie inane alterne perflant, morbi varii, multiplices, natura tamen penitus diversa late dominantur; prout

prout calor, coelo aqua plus minus onerato, aliifve ad alios morbos proclivioribus, graffetur : calore ficco, phlegmafiae, hepatitis praefertim, humido vero rerum potiente, morbi indole penitus diverfa refurgentes faeviunt. Hinc fit quod hepatitis faepius in regione Coromandelae maritima, ubique folum ex arena, fabuloque ficco praecipue conflatur, quam in Calcutta, aliifque Bengalae paludibus, vel in coeli ftatu procellofo, atque umbrifero, recrudefcat.

Quaenam ex regionis terreftris hujufce ventis incommoda oriantur, neminem fere latet, plagas arenae immenfas, torridas, radiis folaribus ad perpendiculum fere directis, calefactas, non aliter quam fi ex furno candenti, erumpentes, percurrunt : tantumque abeft, ut perfpirationi, illi in regionibus calidis falutari humorum detractioni, quam natura tanta cum fapientia ad proportionis normam diftribuere conatur, quo animalia, diverfis licet caloris viribus objiciantur, eundem tamen fere fem-

29

per gradum confervant, vel minime faveant, ut etiam ipfam, haud levi mortalium incommodo, infigniter reprimant, totamque fere corporis fuperficiem exficcatam arctius contrahant, ac comprimant. Hinc calor infigniter augeatur neceffe eft : adeo ut interdum multum fupra fanitatis gradum affurgat ; heparque praefertim, ut ex caloris fenfu ibi corporis torquentis, bilifque vomitione ftatim fubfequente, conftat, infigniter ftimulet.

Si, rebus eo loci fe habentibus, aut ftatim antecedat, aut fubfequatur, frigus, ut plerumque aurae ex mari reduci, aut aëri nocturno fe incaute objicientibus, frigidave large bibentibus, obtingit, multo graviores edet effectus : atque fi hepatitis ftatim, ut faepe ufu venit, oriatur, acuta graffabitur. Si vero haec caloris ac frigoris vis morbo ftatim fufcitando impar fit ; faepius tamen iterata, ut ex pravo cujuflibet ftimuli ultra citrave fanitatis normam ac modulum ufu obtingit, totum corpus, hepar vero praefertim, tanto languore ac inertia

31

, (10

inertia afficiet, ut non folum prava et imminuta bilis fecretio, fed etiam hepatitis vetufta, citius aut ferius, pro caufarum vi, tempore, et agendi modo fubnafcantur.

Hic vero nobis forfitan objicias, quaerendo, quare, fcilicet, hepar, prae caeteris vifceribus, hic loci inflammatione, tam frigidarum, quam nec frigidarum nimis nec calidarum regionum prole, potiffimum laborat?

Si modi operandi, quo quaedam fubftantiae quaedam corporis organa afficiant; nempe quo falivae glandulas, hydrargyrum; renes cantharides; cutem exanthemata; modique, quo febres intermittentes, ac remittentes, paludum miafma; continuas vero contagio humana, excitent, rationem reddere clare potuiffemus; forfitan hac fimilitudine fuffulti, huic nodo folvendo, aliquatenus pares evaderemus.

Enim enimvero effectus, quos in plagis calidioribus edit, obfervanti, animoque mecum diligentius volventi, calor jecur, prae caeteris corporis

corporis humani visceribus, fingulari, fuique generis modo, ftimulare mihi videtur : quod valide confirmatur ex eo quod hic loci, bilis fecretio eadem, qua cutis excretio adaugetur, ut caeteris excretionibus evenit ratione non imminuatur.

Nec non probabiliter fieri poteft, ut jecur ventriculum inter et fuperficiem externam fitum, hinc potus, illinc aëris, frigori, objectum, corpore nimis calefacto, multo magis irritabile fiat ; vel eodem nimis refrigerato, potu fimul inebriante, caloreve externo, agentibus, gravior effectus hac duplici caufarum ferie, edatur.

Licet vero nobis, morbum ex hifce caufis quadantenus oriri, concedatur; alter tamen quare fcilicet, in India Orientali, faepius quam in Occidentali, plagifque huic fimilibus graffetur, nodus folvendus fupereft : utcunque vero fe res habeat; pofito etiam quod coelum in hifce regionibus fimillimum fit, hoc aliquibus ex fupra laudatis caufis tribuendum effe.

effe, illafque majori vi in India Orientali, quam in Occidentali agere, totumque difcrimen ex hoc difpari caufarum opere pendere crediderim.

### CAUSA PROXIMA.

Utpote de qua primae notae fcriptores in fententias adversa fronte arietantes ivere, fummis difficultatibus premi fatearis oportet : aliis aliud vifum, hi morbum venae portarum, illi vero hanc fententiam, non folum non claram, fed etiam vero abfimilem, refpuentes, arteriae hepaticae morbum vitio vertendum effe clamitant : quapropter meam ipfius fententiam, hic loci in medium allaturus, non fine metu, fummaque diffidentia in arenam tremulus defcendo.

Ex dictis bilem, non folum ineunte fed etiam progrediente morbo, plurimum praefertim vero quantitate, peccare liquido patet. Hac aegritudine tentatos, totos menfes, imo etiam annos, fignis e bilis vitio pendentibus,

E

, painer,

quae,

quae, praefertim hepatitide vetufta ingruente, paulatim evanida, terga dant; progrediente vero, radicefque altius agente, fecretione bilis plurimum tandem imminuta, penitus fere evanefcunt, obfervare liceat; acuta vero, noxa aliqua gravius excitante, exorta, bilis initio infigniter, morbi progreffu brevi imminuenda, augetur.

His pofitis, fi bilem ramulis venae portarum extremis fecerni, concedatur, nemo diverfas quas fubit mutationes, ex hifce vafis aequaliter mutatis pendere, inficias ibit.

Clariffimus MONRO Profeffor nofter jure celeberrimus, tunicam venae portae bovillae mufcularem fcalpello liquido demonftravit; licetque eadem in vena portae humana oculorum aciem fugiat, illam tamen in homine, aliifque animalibus fimili artificio conflatam, jure contendit. Ex his, eoque quod hepar longiffime a corde, arteriifque diftet, adeo ut non horumce impulfu, fed fua fponte, viribufque fibi infitis vena portae moveatur; ex eo pariter,

pariter, quod hic loci fanguis ex ramis amplioribus, in anguftiores et capillares; quod ipfius motui obicem, plus minus ponat, neceffe eft, ut in arteriis fit, diffundatur, ex eo denique quod vena portarum valvulis inftructa non fit; ex his inquam omnibus rite perpenfis, Profeffor nofter celeberrimus fanguinem, non tantum vi a tergo, fed viribus venae ipfi propriis in hepar diffundi; ipfamque viribus vivis a natura effe inftructam, atque inftar arteriarum, non folum irritabilem, fed etiam inflammationi opportunam effe, ufitato fuo argumentandi acumine rite contendit.

Hoc extra omnem dubitationis aleam nitido periculo pofuit ; arteria hepatica animali ligata ; hepar non folum inflaminationi, ut antea obnoxium, fed etiam partibus vicinis, ut aliis inflammationibus evenit, agglutinatum comperit. Nollem tamen hic arteriam hepaticam tanquam hujus mali immunem excipias ; contra ipfam in omni inflammationis exemplo acutae, plus minus laborare, colligas velim ;

velim; ex eo enim quod non folum ramuli minutuli in omne hepar fimul diffundentur, fed etiam quod ofcula ipfarum extrema fe invicem ubique hepatis amplexantur, fieri non poteft, quin unâ ipfarum inflammatâ, altera ftatim exardeat.

Licetque nobis in quibufdam acutae, praefertim jecinoris tunicarum inflammationis exemplis, arteria hepatica, primario affici videatur; attamen propter rationes jam fupra allatas, venam portarum, plerumque hujufce morbi fedem primariam effe, non ponere non poffumus.

Tametli noxae utrumvis morbum incitantes eaedem fint; attamen pro rerum diverfitate; pro ipfarum vi; prout fubito, vel pedetentim in corpus egere; vel prout fyftematis vires regionibus calidioribus diutius commorando, morbifve praeeuntibus fractae fuere; effectus vel caufa proxima, pro omnium harum rerum varietate, nunc acutam, alias vetuftam hepatitiden excitantium, diverfa erunt; quapropter

37

quapropter hepatitiden acutam, totius fyftematis, hepatifque praefertim, vim adauctam; vetuftam vero, eorundem vim imminutam, definiri vellem.

# DE PROCLIVITATE AD MORBUM.

Licet hepatitis acuta quamlibet aetatem impetere queat; aetate tamen florentes, temperamentum fanguineum, ex regionibus frigidioribus nuper appulfos, quibufque fibra mufcularis tensa, viresque morbis praeeuntibus fractae non fuerint, potifiimum, vix unquam infantes, raro impuberes aggreditur. Temperamento vero melancholico praediti, quibus tum corporis, tum animi, vis, morbis quibufvis, luxuve, praesertim potu inebriante immodico, diutinove regionis calore, frangitur, quibusque fibra laxa, in hepatitiden vetustam procliviores funt. Si quid mihi propriae experientiae innitenti judicare fas fit; faeminas fere toties, quoties mares hoc morbo tentari, illifque faepius quam his, exitium afferri, facile

cile adducor ut credam. Menfes hoc malo laborantibus abeffe feruntur.

Neque praetereundum alia animalia, nulla caufa evidente, fi calorem excipias, incitante, in hunc morbum effe proclivia : numerus enim canum venaticorum ex Anglia, huc adventorum infignis hoc malo e medio tolluntur : nihil magis quotidianum, quam canem domini deliciolum *hepate*, (fic enim in India Orientali apud omnes morbus audit,) laborantem, hydrargyro tractari : et haec animalia, morbo jam fuppuratione finito, abfceffuque incifo, convalefcere, certior factus fum.

#### RATIO SYMPTOMATUM.

Ex omnibus quibus haec aegritudo ftipatur fignis, nullum, quam humeri, claviculamque fubtus dolor, difficilius exponitur: licet enim, aliae ab aliis, phaenomeni rationem reddendi caufa, fententiae in medium illatae fuerint, nihilum tamen ad caufam enucleandam profecerunt: tam horum, qui nervorum nexui, fententia, quam qui inflammationi in diaphrag-

ma,

ma, septumque thoracis mediastinum, surrepenti, jecinorifve ponderi adaucto, ascribendum ponunt, nihili quidem pendendae funt: hoc enim fignum, neque verae harum partium inflammationi, neque hepatis pondere et mole fchirro adauctis, affeclam comperire eft : quapropter huic phaenomeno obscuro impar, nodum aliorum acumine folvendum, cuidamve naturae confenfui, nondum fatis perspecto, adnumerandum in medio relinquimus. Singultus, dyfpnoea, tuffis, decubitusque in finistrum latus difficilis, non folum ex inflammatione diaphragmati hepar jam tenerum comprimenti, pleurisque costarum, et pulmonum obrepente, fed etiam ex hepatis pondere, quod ligamenta fua, quibus suspenditur, quaeque pariter inflammatione probabiliter jam tentantur, deorfum gravat, exoriuntur. Humerorum convexitas ex doloris vacuitate, quam aeger. antrorsum incurvatus, experitur, diaphragmati, corpore fic polito, hepar multo minus comprimente, oriri videtur. Vomitus, qui incunte hepatitide

39

hepatitide acuta aegrum aliquando torquet, vel ex inflammatione, ventriculo tandem, fuperveniente, vel ex magna bilis vi, quae jam in duodenum diffunditur, ex hac autem ut mihi videtur, frequentius pendet.

Caeterorum vero, quae in hepatitide vetufta obfervantur, phaenomenon, ex visceris hujusce mole, ac magnitudine, ex bili quae, uti videtur, saepe qualitate peccat, imminuta ratio reddenda videtur.

#### PROGNOSIS.

Antecedentium, morbi vis, temporifque quod duravit; aetatis, temperamentique, aegri, ratione rite habita, de eventu fatis accurate judicabitur. Si aegroti vires quovis luxu, morbis antecedentibus, viribufque caloris funeftis plurimum frangantur, exitus infauftus praefagiendus eft. Si medicus non nifi multis diebus elapfis, accerfitus fit, anceps periculofufque exitus, etiamfi aeger morbo mitiori tentetur, ex eo quod tanta cum velocitate in fuppurationem

41

purationem praeceps feratur, timendus eft. Humeri claviculaeque dolor fubtus gravis, tuffis ficca, dyfpnoea, praefertim fi remediis idoneis brevi non cedant, femper periculum maximum ingruere praedicunt. Si alimenta per vetuftâ laborantis canalem alimentarium, cito, parumque, nifi quod faftidium peffime olentia moveant, mutata ferantur, morbum pervicacem ancipitemque praenuncies.

Si contra, auxiliante medico, pyrexia, caeteraque figna importuniora infigniter brevi remittant, praefertim quavis exinanitione critica comitante, cutis fimul humidae calore minuto. Sique morbo vetufto laboranti folitus oris color redintegretur; fi faeces antea faftidium moventes jam fanorum fimiles, non amplius foeteant, exitum morbi fauftum ac felicem abfque errandi formidine ingruere praenuncies.

Si autem acutam vetusta temporis progressi excipiat, aegroque pristinae vires orisque decor non instaurantur; caute admodum nobis utpote quibus hic suppuratio timenda sit de

ancipite

F

ancipite morbo augurandum eft. Denique acuta, quam vetusta hepatitide laborantes magis vita periclitantur, modo haec auxiliis nondum tentatis longius provecta non st. Suppuratio nullo non exemplo summum vitae difcrimen minitatur.

## CONSILIA MEDENDI.

Primo in hoc, ficuti in aliis morbis, caufae remotae, quas fupra jam recenfuimus, quoad fieri poteft, tollendae funt. Cum vero ex probatis duae fint hujufce morbi fpecies, *vetufta* fcilicet ac *acuta*, natura et caufa proxima, penitus diverfae : curatio fit pariter duplex oportet.

Hepatitis acuta quae primo propter figna graviora periculumque quibus undique cingitur medici attentionem jure fibi vindicat, regimine antiphlogiftico, fanguinis miffione, catharticis, et veficatoriis, de quibus figillatim paucis differendum, curanda eft.

Regimen

Regimen antiphlogisticum hic, ut in omnibus viscerum ad vitam neceffariorum inflammationibus rigide semper adhibendum, satis patet.

Sanguinis miffio certis limitibus ne ultra citrave rectum excurrat pro aegroti aetate et viribus, morbi violentia, temporeque quod duravit, ut fua cuique prudenti medico ratio fuadebit, circumforibenda eft.

In regionibus calidis phlegmafiae tam brevi in diverfae naturae morbos mutantur, ut venam non nifi cautifiime pertundere fas fit ; fi enim primo, fecundo, aut ad fummum tertio morbi die, fanguinis miffio non celebretur ; non folum anceps, fed etiam plerumque periculofae plenum opus aleae futura eft. Eft eo quod in hanc rem animum non fatis intendant, fcalpellum ftringentibus, rem faepius infaufte ceffiffe facile crediderim : nullo nos enim auxilio modo limitibus fupra dictis accurate circumfcribatur praeftantiore, potiri, experientia fretus, nil dubito afferere. In locis aridis copiofius,

copiofius, quam in humidis, in his enim fibra debilis et laxa, fanguis mittendus: nautis qui cibo pravo parumque nutriente vefci coguntur tam haec quam quaelibet alia exinanitio parcius utenda.

Cathartica, fi iifdem finibus quibus fanguinis miffio limitentur, hoc malo laborantibus profunt; leniora vero ut tartarus folubilis, fal rupellenfis, &c. parvis dofibus propinata ita ut alvus leniter folvatur, anteferenda funt : juxta venaefectionem,

Veficatoriis maximam fidem ac fiduciam habeo: veficatorium amplum parti affectae, quam poteft proxime et fucceffive diverfis regionis hepaticae partibus applicandum erit; fic enim multo magis quam fi fonticuli unguento epifpaftico fiant proderit. Agentibus veficatoriis, diluentia copiofius, eo quod in calidis magis quam in frigidis regionibus urinae meatus afficiantur, propinanda.

Refrigerantia, qualia funt fructus acidi, quippe qui fitim alvique duritiem jucunde levant,

vant, malo laborantibus plurimum prodeffe experientia conftat : fales medii, nitrum multa aqua folutum, et julapium falinum ex alkali vegetabili fixo et acido vegetabilium conflatum, ad curam facere conftat.

Cum hepar iifdem quibus reliquum fyftema legibus gubernatur; acuta, fi figna graviora fint diutiufve perftent, in fuppurationem, aut vetuftam, degenerando, definat, oportet: jamquealiis de quibus infra auxiliis curanda eft.

HEPATITIDIS VETUSTAE MEDENDI RATIO.

Auxilia quibus fuffragante experientia, vetuftae, utrum acutam aliumve quemcunque morbum excipiat, an primario exoriatur, optime medetur, funt, laxantia mitiora, hydrargyrum, veficatoria, tonica,  $\mathfrak{C}c$ .

Tubo alimentario parvis laxantium dofibus expurgato, ad *unguentum hydrargyri fortius*, quod primo copiofius, donec animae foetore in fluida intromiffum percipiatur, postea vero parcius, ita ut vasa metallo onerata aliquan-

+

diu ftimulentur; interim a ptyalifmo, tam hic enim quam alibi obeft, caute caventibus, confugiendum eft. Regioni hepaticae modo hic veficatoria applicata non fint affricandum eft: hinc enim magna morbi levatio. Affrictus tempus admodum pro rerum diverfitate diverfum medico judicanti relinquendum eft.

Vesicatoria, qualis modus operandi cunque fit, ut in acuta praecipitur, adhibita, plurimum prodeffe conftat.

Dyfpepfia, fibraeque mufcularis laxitas, morbi fatellites indivulfi, quam bene tonica et ftimulantia morbo occurrant, digitis quafi defignant : haec autem caute utenda, ad mitiora enim, qualia funt infufa amara, parvulae tincturae corticis Peruviani, radicifque columbo, fuperaddita quantitate, confugiendum. In victus tenuioris in acuta laudati vicem, cibus lautor, concoctu facilis aromatibufque feite conditus, fufficiendus eft. In India cibus cui nomen *curry* concoctu facilis, ex carne parvaque vegetabilium portione conflatus, capfi-

CO,

#### HEPATITIDE. DE

co, curcuma, aliifque aromatibus bene conditus, quem una cum oryza comedunt, plurimum invalescit. Post cibum unus aut alter Madeirae aliûfve vini meraci cyathus profunt: potus communis vinum aut facchari fpiritus aqua diluta fit : cerevifia enim utentibus afcefcit.

Ad figna importuniora, praecipue tuffim quae tam in acuta quam in vetufta plerumque torquet, compescenda, nihil opio, quod mirandum levamen plerumque affert, praestantius eft.

Si morbus hicce auxiliis pervicax non cedat, in coelum mitius ac purius migrando, hydrargyro interim caeterisque remediis aliquandiu repofitis, et denuo post aliquod temporis refumptis, aegrotus faepe convaluit.

Si haec votis parum refpondeant; in aliquam Indiae Sinarumque regionem longinquam navigantibus res saepe feliciter cedit.

Diarrhoea, faepe mali comes, adeo importuna eft, ut aegrum ad remedia aftringentia faepius

pius adigat : haec vero, quippe que fuppurationi haud leviter faveant, peffimos femper edunt effectus; et nifi alvi proluvies tanta cum immanitate faeviat, ut vitae periculum ingruat, cane pejus et angue vitanda funt. Hydrargyro abdomini affricato, lanulaeque poftea indutae terga plerumque dat fignum ingratum. Aegroto in equo aut curru exercitatio lenis pro viribus utenda, interimque a coeli intemperie caute cavendum.

Suppuratione exorta, tonica validiora et fiinulantia, qualia funt corticis Peruviani pulvis, vinum rubrum vel Madeirenfe utenda funt. Abfceffus extrorfum tumens quam primum fcalpello incidendus eft : fi autem viam fibi in inteftina edax patefaciat, laxantibus mitioribus, ne partis erofae hiatus jufto citius agglutinetur, neve ductus communis choledochus, fi hac forte pus ruat, oppiletur, leniter ftimulanda funt.

TANTUM.



